

ARA EXEQVIALIS,  
 BEATIS MANIBUS  
 SPECTABILIS ATQVE CONSULTISSIMI  
 DOMINI  
**CHRISTIANI  
 LACHMANNI,**

De Republica Thoruniensi Secretarii  
 bene meriti,

*Die 13. Januarii An. Ep. Chr. M. DCCVI.*  
*pie demortui,*

*Et die 17. p. m. in Templo Mariano*  
*honorifice sepulti,*

erecta

COLLEGIO PROFESSORIO  
 GYMNI. THORUNIENSIS.

---

THORUNII,

Excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatús & Gymnasii  
 Typographus.

*Delph. de v. fol. 3, 202*





Aus & fama fuit secreti magna laboris,  
Quem fidus fido credidit usqve Viro.  
Quandoquidem solus par haud est tollere  
damnum,  
Si se participem non facit ipse mali.

Urbes si, vel regna premant mala fata, fatendum est,

Communi in damno viribus esse locum;

Hinc alios videas magno sudare labore,

Ut tollant damnum consiliisque levant.

Ast alii scribunt tabulis consulta Senatus,

Quis à <sup>Secretis</sup> Cancellis nomen & omen inest.

Horum non vilis, sed splendida gloria perstat,

Horum laus & honor non moritura virent.

Ex horum numero fuerat *Lachmannus*, acerbo

Funere qui raptus dat mihi triste Vale!

Noverat hunc *Astræa*, è pleno vellere *Phryxi*

Texuerat fertum dextera clara *Dices*.

*Lachmannus* bis ter Musarum ipsissima *Musa*,

Et *Charitis* triplicis deliciosa *Charis*.

*Prussica* quem tellus mature plorat ademptum,

Quem nostri *Cives* pectore & ore dolent.

*Vistulides* scopulis currunt, & *Drusides*: antris

*Dorades* è madidis *Naiades*que ruunt.

Sed nihil efficiunt lacrymarum planctusque dolorque,

Cum quæ defluxit *lympha* redire nequit.



Fallacis ridet jam *Secretarius* orbis  
Technas, ac animo gaudia mille gerit.  
Incertos hominum casus perpende, Viator,  
Qvi lustras oculis hæc monumenta tuis.  
Non genio indulge, aut resipiscere differ in horas;  
Qvo minime speres tempore, nullus eris.  
Stemmata, divitias, ætatem, mentis acumen,  
Si sapis, hæc morti cuncta subesse putes.

*Honoris & amoris gratia amica manus  
B. Secretario sacrabat*

M. MARTINI Böhmi.

Lipf. Centur. 2. Epistolarum Miscell. Epist. 99. *DEO parere, & velle, quod ipse vult, summa non sapientia solum est, sed tranquillitas & quies.*

**N**il sanctius prudentiusque credimur  
Egisse vel tulisse, quam si Numinis  
Arbitrio sanctissimi regamur, &  
Velimus illa, quæ benignus vult DEUS.  
Qvi sanctus atque justus optimè omnia  
Fácit; licet molestiora sæpius  
Putentur illis esse, quæ Christi jugum  
Grave, & malum non ferre posse maxi-  
mum  
Malum est. Ab incunabulis doctus fuit  
Portare LACHMANNUS jugum Christi, &  
DEO  
Parere: qvi vix Matre cognitâ, neque  
*In orbe viso Patre* magnam pertulit

Pri-



Privignus & post orphanus molem mali.  
Et quanta ephebus, Virque passus sit mala,  
Testes erunt vel hic Amici plurimi:  
Qui morbidum mortique jamjam proximum

Visere. Non contrarium tamen DEI  
Sese voluntati futurum dixerat,  
Sciens, quod hæc tranquillitas sit optima  
Quiesque, velle, quod DEUS vult optimus:

Jubente quò nunquam negavit ponere  
Vitam, vel ire ad astra per tot aspera.  
Ut Christianus esset omine, nomine.

L. p.

M. MARTINUS BERTLEFFIUS,  
Prof. Publ. & Vifit.

